



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 14. Monachus fulmine contra militis iniuriam defensus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

commodis conqueri. Quanquã pro incommodo habendũ non est, si igne cœlestis iudex reos plectat, cùm eãdem opera vel moneat, vel defendat innocentes. Tradunt operas mutuas, Iustitia & Misericordia Numinis. In quam rem pergit Author.

§. XIV.

Monachus fulmine, contra militis rapinam, defensus,

Idem lib.
cod. cap.
30.

Richuvinus cellarius noster, cùm die quadam, tempore discordia inter sæpe dictos Reges, de Colonia exiret, non procul ab urbe, plures armatos, ex latere strata publica, in suis dextrarijs, sedere conspexit, quibus visis, cùm satis timeret, vnus ex eis cursu rapacissimo ad eum veniens, equum eius per frantum tenuit; quem his verbis superbe allocutus est, dicens: Domine Monache, descendite, oportet me habere equum istum. Vix verba finierat, & ecce, Dominus, non verbo, sed tonitruo pradoni, pro seruo suo, respondit. Nam, cùm, totã illã die, nulla fuissent audita tonitrua, ictus tã validissimus inopinatè personuit, vt equus satellitis genibus terrã peteret, & ipse nutantis tergo vix inhareret: moxq; manũ à frano monachi retrahens, ait satis humiliter: Ite in pace, bonus enim vir estis, cui ille regratians letus processit, diuinitus se liberatum

recog-

recognoscens. Hæc mihi idem Richuvinus, ore suo, confessus est. Quàm sæpe nunc, prædones dicam, an milites, viatorem inuadunt; spoliant, neque equo duntaxat, sed omnibus, quæ secum defert, priuant? immo vitam ipsam emere cogunt, ut omnia simul eripiant? Et deest fulmen? & non tonat? nec cælum murmurat? murmurabit aliquando, tantò truculentiùs, quantò mitiùs nunc gladium in vagina continet, ut & patientiæ alij, & pœnitentiæ, prædones tempus habeant. Non desunt illi arma, nec deest causa, cui militat æther, cui in conspectu sunt humana scelera; sed suam patientiam, patientiam nostram erudit. Quanquam, si vult plectere, aut si vult suos defendere, non opus est illi, ignem de cælo vocare; etiã in terris ignem habet, qui illi, qui seruis illius famulatur.

§. XV.

Ignem quoque, & incendia parcere innocentibus, in vidua simplicis exemplo, ostenditur.

In Episcopatu Coloniensi, oppido imperiali, quod Donsburg dicitur, vidua quaedam ceruissiam braxare ac vendere solebat. Die quadam, cum ciuitas casu fuisset incensa, ipsumque incendium domui eius appropinquasset, illa, iam non habens spem in auxilia humano, ad diuinum confugit.

Nam

Ibid. capi

31.